



Politicorvm Libri Decem

Contzen, Adam

Colonia, [1621]

Cap. XL. Præpositorum, Decanorum, Primiceriorum, aliorumqúe munia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95437](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95437)

scopi, & quando ad oues suas proficisci teneantur?

Episcopi sacris officiis fungantur.

Chorepiscopi.

Chorepiscopi vetiti.

Chorepiscopi sunt presbyteri.

Chorepiscopi sunt adiutores Episcoporum.

in locis Evangelii prædicandi, omnino eo proficisci, & requirere oues tenentur, nec eo casu mortem reculare, si modo precium periculi sit. Sine causa enim & spe emolumenti spiritualis in discrimen se dare prudentis Antistitis non est.

Horum Episcoporum opera Archiepiscopis, & Episcopis in Germania præcipue concessa est, ob ditionum amplitudinem, in qua tamen hoc requiro, ut ipsi Episcopi principes ciebro sacerdotes consecrent, aliaque faciant, quæ ostendant, ipsos non tædio rerum spiritualium, sed occupatione coactos, sibi adiutores addidisse. Fuerunt Chorepiscopi antiquitus, & nunc in Treuirensi Archiepiscopatu, & nescio, an aliis quibusdam locis, perseverant.

De his extat Damasi Epistola ad Numidiæ Episcopos. In qua primo, ait se reperisse à prædecessoribus decretum, Nihil eis ad veniam referuari, quam priuationem sacri ministerij, quod illicitè assumpserunt, quia prohibiti tam ab hac sacra sede, quam à totius orbis fuerunt Episcopi. 2. Nihil eos de summo sacerdotij munere posse præsumere. 3. Presbyteros esse, non Episcopos. 4. olim propter studium pauperum constitutos. 5. deiectos esse, quia illicita præsumebant, & quæ solis pontificibus conueniebant, faciebant. 6. Eis à quibusdam Episcopis ocio torpentibus gregem commissum fuisse. 7. Tales torpidos Episcopos esse metreticibus similes. 8. Nullo modo esse Episcopos. 9. Aliquos tamen postea in locis quibusdam vere creatos Episcopos; hoc enim ait Damascus in can. esse. estque in Antiochen. c. 10. 10. dici Episcopos villanos, hoc est enim *χῆρος*; itaque sunt regionarii Episcopi, non enim à choro, sed *ἐκ τοῦ χῆρου*, hoc est regione dicuntur. 11. Si presbyteri esse despiciunt, cum Episcopi non sint, nihil esse. 12. Eos, qui manu propria confirmauerint se tantum presbyteros esse, posse manere in eorum catalogo; qui Episcopi esse volunt, omni honore priuandos. 13. Non licere eis sacerdotes consecrare, nec diaconos, aut subdiaconos, nec virgines, nec altare erigere, nec vngere aut sacrare, nec ecclesias dedicare, nec chrismata conficere, nec chrismate baptizatorum frontes signare, nec publice quidem in Missa quemquam penitentem reconciliare, nec formatas epistolas mittere, nec populum benedicere, nec ante Episcopum in baptisterio aut sacrario introire, nec præsertim Episcopo infantem tingere aut signare, nec penitentem sine præceptione Episcopi sui reconciliare, nec eo præsertim, nisi illo iubente, sacramentum corporis & sanguinis Christi conficere, nec eo coram posito populum docere aut salutare, nec plebem exhortari: quæ omnia solis pontificibus debent, tam ex superioribus, quam ex aliis patrum constitutis, aut sacris canonibus, edocti estis.

Hinc duo apparent in his reprehendi, primum est. Præsumptio Chorepiscoporum, alterum negligentia Episcoporum, suos labores illis demandantium.

§. 7. Quodnam eorum officium fuerit, colligi potest ex canone 54. Nicæno. Eligat Episcopus ex bonis religiosis, qui habitant in deserto, aliquem, qui sit doctus, & optimis moribus & maxime omnium, qui in vniuersa illa congregatione sunt, intelligens, qui nihil de electione sua cognouerit. Et qui sunt illius congregationis, debent præsentare eum. Et vnus Diaconus congregationis alta voce dicat: nos eligimus talem in Coepiscopum (forte Chorepiscopum) qui habeat totam potestatem in nos, ut sciant omnes electum esse eum in eo gradu. Et debet episcopus recitare super electum orationem consuetam, & benedicere super eum, dareque ei nomina omnium ecclesiarum & monasteriorum, quæ sub potestate eius sunt, ut eligat ipse, ut melius ei visum fuerit, eos qui sunt idonei & in sermone suo constantes, quos ecclesiis & monasteriis præficiat. Et eis qui curam habent ecclesiarum, ne imponat curam monasteriorum, & eis qui præfati sunt monasteriis, ne iungat curam ecclesiarum: obligetque eos ad ea loca, quæ eis data sunt, & eat postea ad visitandas ecclesias & monasteria. Qui in aliqua ecclesia, aut monasterio aliquid deesse, aut supra quam opus sit, abundare

reperit, oportet quod vno in loco superfluit, apponere ubi deest, id quod cum timore Dei & adificatione illorum locorum fieri debet. Et si fuerint pauci sacerdotes, debet augere numerum ex illis, qui sunt illius loci. Et si inter eos non fuerit aliquis idoneus, illius castelli, ut ordinetur: debet sumere aliquem ex monasteriis vel ecclesiis, & curet, ut fiat sacerdos: ut oratio sit assidua, & non cesset ministerium altaris, desistanturque templa oratione & missa; & Christiani non habentes pastorem, nomine & opere sint sicut gentiles. Item curet, ut in omni castello, & parua villa sit aliquis, qui colligat proventus Episcopo secundum vires cuiusque loci, & asserantur ad eum. Si quidem ad eum pertinet, ut faciat elemosynas pauperibus, & peregrinis & recreet sacerdotes egentes, ut maneat inter eos charitas.

§. 8. Fuisse minorem dignitate Archidiacono constat ex can. 8. Quando Chorepiscopus, & Archidiaconus sedent in ecclesia, nullus sacerdos, neque Diaconus ecclesie, neque cuiusvis gradus alterius clericorum audeat sedere supra illos: præterquam episcopus, quia hi sunt tanquam due manus, & due ale, quibus episcopus volat. Sed quando episcopus ambulat siue in ecclesia, siue foris: oportet ut Archidiaconus sit ad dexteram, & Chorepiscopus ad sinistram, & Episcopus sit inter eos, tanquam pater in medio filiorum. Et quicumque non paruerit, synodus eum excommunicat.

§. 9. Non tamen continuo nomen sublatum; quamuis enim Episcopos non esse tradant, nisi paucos quosdam presbyteros tamen Chorepiscopos fuisse certum est, etiam post Damasi decretum, imo iterum episcopalem gradum ambiuisse. Nam Ioannes 3. circa annum domini 566. de his ita scripsit Episcopis Germaniæ & Galliæ. Perlatum est ad sedem Apostolicam, emerisse, & denuo reuiuiscere prohibitum, & funditus extirpatum, tam à sancto Damaso, quam à S. Leone viris Apostolicis, atque ab vniuersis synodali aut horitate episcopis, reprehensibilem, atque oppido inolitum vsu, eo quod quidam chorepiscopi (qui & à prædictorum antecessorum sanctorum Apostolicorum patribus & viris Apostolicis, & ab ipsis, siue à nobis sunt prohibiti, sicut eorum hæcenus testantur decreta vltra modum suum progredientes, donum sancti spiritus per impositionem manuum tradant, & alia, quæ solum pontificibus debentur, contra fas peragant, præsertim cum nullus ex septuaginta discipulis, quorum speciem in ecclesia gerunt legatur, donum spiritus sancti per manus impositionem, tradidisse. Quod autem solis Apostolicis, eorumque successoribus proprium sit officij tradere spiritum sanctum, liber Actuum Apostolorum docet.

Itaque cum hæc tam clara sint de Epistola secunda Nicolai I. valde dubito, quæ est Cordesii studio in lucem edita.

§. 10. Synodus diocæsana Dilingæ habita, anno 1548. Chorepiscopis tribuit Archidiaconorum, & Decanorum ruralium officium; ita c. 7. & Archiepiscopos iisdem confociat. Itaque nomen Chorepiscopi retinetur, non est contra canones, modo episcopalia munia, ut ordinandi, & similia non exerceant, sed suo munere contenti intra terminos præscriptos se contineant. Quod si vero aliquis, quos nunc suffraganeos dicimus, in aliquo episcopatu etiam ad gubernationem adhibeatur, poterit ille dici Chorepiscopus, & esse verus Episcopus; Chorepiscopus in illa diocæsali cuius Episcopum adiuvat: Verus Episcopus suæ ditionis, ad quam accessus illi negatur.

CAPITULUM XL.

Prepositorum, Decanorum, Primiceriorum, aliorumque munia.

§. 1. **M**VLTA in Ecclesia non dignitatum modo, sed etiam officiorum nomina, quemadmodum in militia sub imperatore legati, tribuni, primipili, centuriones, optiones, decadarchi, ita quoque in hac sacra militia Ecclesiæ varii sunt ordines, & magistratus subordinati. Ideo & castrorum acies ordinata dicitur.

§. 2. Pri-

*Præpositi
magna di-
gnitas, etia
seculari.*

§. 2. Primum locum tenere præpositi, qui tamen olim duplices fuerunt, vel ex corpore cleri, vel sæculares; De sæcularibus intelligo cap. 50. statutorum Concilii Moguntiaceni sub Richolpho Archiepiscopo anno 813. Omnibus igitur Episcopis, Abbatibus, cunctoque clero omnino præcipimus, vicedominos, præpositos, advocatos, siue defensores bonos habere, non malos, non crudeles, non cupidos, non periuros, non falsitatem amantes, sed Deum timentes, & in omnibus iustitiam diligentes. De iudicibus autem vel centenariis atque tribunis seu vicariis, dignum esse censemus, ut si mali reperti fuerint, de ministerio suo abiciantur.

*Seculari-
bus præposi-
tis iustitia
et ecclesia-
stici.*

§. 3. Præpositi sæculares cum minus fideles essent, constituti sunt ex ipso clero viri zelosi, prudentes, in agendo dexteri, qui iura, possessiones, redditusque singulorum, atque omnium curarent. Atque in monasteriis ipsis ex religio sita est in Concilio Aquisgran. sub Steph. 5. Ludouico 1. c. 139. Quamvis omnes qui præsunt præpositi rite dicantur: vsus tamen obtrinit, eos vocari præpositos, qui quandam prioratus curam sub aliis prælatis gerunt. Hi tamen, qui iuxta hunc morem præpositi vocantur, tales & tam strenui à prælatis sunt constituendi, qui & vite probabilis sint, & ea que sibi iniuncta sunt, fideliter humiliterque expleant. Et pro eo, quod aliis prælatis sunt, nequaquam parui pendant canonica instituta: sed quanto plus implicentur in fratrum curis, tanto magis studeant celestibus obtemperare monitis. Debent igitur cuncta congregationi præpositi, esse utiles & de ministerio commisso fideliter prodesse. Ea vero, que fratribus dare debent, cum charitate tempore opportuno incunctanter præbeant, quatenus à Domino de fidei administratione gradum bonum acquirant. Erga huiusmodi vero delinquentes, & obedientiam sibi commissam bene non administrantes, modus superius comprehensus, tenendus est.

*Præpositi
monasti-
corum in
ordinem
reducti.*

Verum cum multi ex præpositis tam in clero, quam monasteriis rerum suarum satagentes, communium negligentes, viderentur inutiles, querela exorta fuit; & præpositi quidem monasteriorum in ordinem fere reducti. Nam qui solitarie habitabant, eos ad claustra reuocari iubet Concilium Lateranense, monetque Episcopos ut Abbates ad hoc faciendum impellant.

*Luxurios
præpositi
castigati.*

Laudabilis est constitutio Concilii Colonienfis anno 1536. celebrati, part. 10. c. 11. Habent quedam monasteria sumptuosos præpositos, sub quorum potestate quum omnis bonorum administratio sit, ipsi de redditibus monasticis luxuriantur. Et qui monastica conversationis exemplum esse debuerant, ad mundi delicias reuoluuntur: fastidientes interdum similes & mella, interim monialibus ipsis vix milio & cibario pane rugientem ventrem saturantibus. Sunt quoque virginum monasteria, ubi non est victus & mensa communis, sed mos ille quem ad Corinthios scribens Paulus, quatuor in longe sacratori conuiuio damnauit quotidianus, nempe quod vnaqueque suum cibum præsumit ad manducandum: & alia quidem esurit, alia vero ebria est. Quos abusus tollere necessarium putamus, videlicet ut in illorum delicatulum præpositorum locum, probi oeconomi à nobis comprobandi (quorum victus sit monastico similis) surrogentur, qui etiam obligati erunt singulis annis rationem de receptis ac erogatis integram reddere.

*Præpositi
ecclesiarum
ad officium
vocati.*

Sequens deinde Synodus anno 1549. habita officium cii omnes præpositos admonet. Querela est collegiorum, præpositos quosdam, ad quos præstito iuramento pertineat iura & statuta Ecclesiarum tueri, atque defendere, nihil agere minus: sed percipere tantum amplios fructus; ceterum ecclesias, quarum causa illos percipiunt, relinquere indefensas, immemores iurisdictionis, & eius quod beneficium propter officium datur. Hinc decernimus & statuimus, ut si quis in modo præpositi à suis collegiis, ac bonorum, iurum & statutorum defensionem, expensis capitulorum, necessitatis tempore vel imminente discrimine, requisiti, muneri suo satisfacere neglexerint, & inde Collegium seu Ecclesia illa damnum accipiat: poenam in-

cidant, pro damni accepti magnitudine & præpositi negligentia, ab Episcopo seu superioribus taxandam & moderandam.

Hoc Colonienfis Synodi decretum ad omnes ecclesias pertinet, quia iuramentum omnium eodem tenet.

§. 4. In decanum eligi nemo potest, nisi aetate & moribus maturus, distinct. 60. innouamus, Concilium Lateranense sub Alex. 3. c. 3. decreuit, ut nemo decanatum suscipiat, nisi annum 25. attigerit, quiq; sit scientia & moribus commendandus, nisi sit presbyter, idem eadem distinctione; quod si diaconus electus sit, nisi presbyter ordinetur, honore priuatur. Ibidem. Eodem modo Lateran. sub Callisto secundo: Nullus in præpositum, nullus in decanum, nullus in Archipresbyterum, nisi presbyter, nullus in Archidiaconum, nisi diaconus ordinetur. Eadem in Concilio Pictauiensi anno 1100. sub Paschali 2.

§. 5. Decanum in Ecclesia sua sedere necesse est. Aureus canon Concilii Colonienfis anno 1549. Videmus Decanis absentibus, vel officio suo segner perfungentibus leuissimum quorumque canonicorum & vicariorum insolentiam præualere fere aduersus meliores, pietatem & zelum bonorum haberi ludibrio, officia negligi diuina, neque ab omnibus persolui, tantum præcipitari, vite & morum honestatem periclitari, disciplinam prorsus nullam esse: breuiter, licere prauis quibusque quicquid libeat. Præcipimus idcirco & mandamus, ut Decani apud suas Ecclesias personaliter resideant, & officio suo per se ipsos strenue perfungantur, excessusque subditorum quoribus opus erit, castigent, sub pena priuationis fructuum decanatum, pro rata temporis, quo absque causa rationabili moniti non resederint, fabrica, aut pauperibus applicandorum, ubi alias non est pena digna contra non residentes decreta, nisi forte necessitatis causa contigerit eos abesse: Quo casu, capitulari alicui, qui suscepti officij rationem reddere possit, quemque inferiores reuereantur, vires suas committant, nisi talem absentis vicarium peculiaria collegiorum statuta designent.

Eodem anno Synodus Moguntina etiam sanctius constituit, & latius legem saluberrimam extendit. Cap. 71. Cum constet, harum dignitatum officia maiores nostros ideo in ecclesiis instituisse, ut essent, qui disciplinam Ecclesiasticam, tamquam inspectores & moderatores, conseruarent: iam vero videamus, ea ab eis occupari, qui dignitatum titulos tantum gerunt, & emolumentis gaudent, & tamen ab ecclesiis suis absunt, nihil minus quam appellationibus suis respondent. Quare statuimus, ut posthac omnes, qui vel Præpositorum, vel Decanorum, vel Scholasticorum, vel Custodum, vel Cantorum dignitatibus (quatenus hæc ad nostram aut comprouinciarum nostrorum dispositionem pertinent) iam præfulgent, aut porro ornandi erunt, presentes suis ecclesiis, vtilem & nomine dignam operam præsent: Non absentes, fructus tantum auferant: neque liceat cuiquam absenti, vllam harum dignitatum gerere: sed quisque tali titulo insignitus, sua ecclesia non absens, neque conducta aliorum opera, sed residendo præsens ipse inseruiat.

§. 6. Officia decanorum ista à conciliis præscribuntur. Concil. Colon. anno 1536. c. 2. Porro quum collegiatæ ecclesia secundaria sunt post cathedrales, & instar illarum (quod ad ordines ministrantium, diuinumque cultum attinet) constituta, vtrouque Decanis cura erit, ut clericos suos ad obseruationem piorum rituum prouocent ac reducant, ut ad agendam vitam clericis dignam perpetuo cohortentur, ac impellant, ut à negotiis, à tumultibus mundanis reuocent, ne magis seculi, quam Christi milites videantur, ut comestationibus, ebrietatibus, ac omni luxui interdiciant, denique ut suo officio satisfacere compellant.

Augustinensis Synodus anno 1548. c. 9. Decanus Collegij sui clericos & familiam in officio quemque suo contineat, exemplo alios precedat, vite morumque honestatem in habitu & disciplina, debitumque in diuinorum officiorum persolutione & caeremoniis exigit: Ebrios, aleatores, percussores, scortatores, & officij sui immemores corripiat, sacris abigat, & pro iure sibi competenti mulctet.

*Decani a-
tas & mo-
res.*

*Decani
presentia.*

*Præla-
torum præ-
sentia mo-
res compo-
nit.*

*Decani of-
ficium.*

Iterum

Iterum Colon. c. 9. Quo ergo hæc quæ diximus, re-
purgentur, ac debite simul cum omnibus aliis ad divini officij
prosecutionem ac chori disciplinam spectantibus obseruentur,
Decanus diligenter inuigilabit, hinc & hinc circumspiciens,
ne quid inordinate fiat.

Et c. 25. Eius officium cum potestate sic describit. Si quos Decanus rebelles cernat, si diuini cultus atque sui officij negligentiores, si rixosos, si litigiosos, si percussiores, si aleatores, si sortia fomentes, aut alii publice criminibus irretitos, atque hi fraternam correptionem audire recusauerint, agat in his capitulis quod iubet Paulus: Peccantes coram omnibus argue: Tum si respicere nolint, arceat à sacris, prohibeat participare fructus, donec ad meliorem vitam frugem reuertantur, sic tamen, vt hic seruetur regula Apostolica: Corripite iniquos, consolamini pusillanimes, patientes estote ad omnes, & neque iram, neque odium, neque rancor vllas sibi partes vendicat. Nam illi praeceptorum sollicitudo est vtilis, illa cautela est laudabilis, in qua totum ratio agit, & furor nihil sibi vendicat. Ira enim saepe etiam innocentem ad crimen inducit. Dum enim iusto animus irascitur, & volumus aliena coercere peccata, grauiora committimus. Per hac tamen nostris ac ecclesiarum prouincia nostra privilegia ac legitimis consuetudinibus, & praesertim mori ac consuetudini quae in aliquibus ecclesiis est, (nempe per causae discipline per Diaconos diiudicetur) nihil praedicamus: modo tamen diaconi, suo officio grauius ac strenue incumbant ac satisficiant. Quod si Decanus & Capitulum, negligentes, aut eisdem criminibus irretiti fuerint, ad iuris communis dispositionem redire necesse erit.

Decani
grauē offi-
cium.

Grauiſſima eſt igitur prouincia Decanorum, vt ad quos totius Collegii, diſciplina, mores, cultus diuini ratio pertinet; niſi enim pius, prudens, uigilans, fortis, ad monendum interritus eſt, ſi uitia, abuſuſque diſſimulat, omnium animarum ſanguis de manu eius requiretur. Ille in omnium ore palmos præcipitat, omnium linguſ fabulatur; Quod enim ex officio tenetur, ex auctoritate poteſt emendare, cenſere facere, ſi negligit.

§. 7. Habent & parochii in vicis, pagis, oppidisque suos decanos, seu præfides, quos rurales appellant. Horum officia Synodus Treurenf. anno 1548. exponit. Archipresbyteri vero, qui & Decani rurales appellantur, quum ad synodi confessum admissi sint, etiam cum pastorum, & suppositorum officij rationem reddere Reuerendis, domino nostro iubentur: quandoquidem ad eos pertinet, publica subditorum delicta corripere, animarum curam consulere, omnes pura verbi Dei doctrina pascere, miseros atque calamitosos consolando sustentare, Ecclesie in omnibus bene præesse, denique ipsos sana viuendi exempla, verbo, & opere exhibere: quod qui faciunt, eos duplici honore dignos Apost. iudicat. Nam turpissimum Ethnicus esse censet, committere, quod doces alios, non esse committendum. De his igitur, tum etiam de aliis sacerdote dignis curis, respondere sua Reuerendissime gratie debent, quo cognoscat illorum in administrandis officiis integritatem. Eo sane nomine bonis ac lubenter parituris gratiam & laudem referri: malos vero & reprobos, cuiuscunque conditionis fuerint, ignominia & pœna posthat Ecclesiastica censure vigore, affici imperabit.

Archipresbyter. Qui nunc decani vocantur, olim videntur archipresbyteri fuisse, est enim uterque princeps sui collegii, primarii viri enim decani etiam dici solent, & honoratus est numerus denarius, adeo vt decumana dicantur, quæ magna sunt. Nunc tamen archipresbyter & decanus diuersas functiones habent; & archipresbyter quidem ordinario iure in gubernatione subiicitur archidiacono, decanus nequaquam. Archipresbyter fere vices Episcopi absentis gerit. Vide Leon. const. vlt. de officio archipresbyteri.

Scholastici officium. §. 8. Scholastici officium est, vel instituire, vel curare vt instituat iuuentus. Præest ille domicellaribus quos vocant, qui nisi omni cura instituan-

tur, ad officia diuina exerceantur, spes bonorum Ecclesiasticorum in ipsa herba praeciditur. Metropolitano vero scholastico generalis scholarum inspectio, commissa censetur.

Aliud etiam ei dignitati adiunctum est officium, nempe ordinandos examinandi, præsidet enim examini scholasticus cathedralis ecclesiæ.

De omnibus hiſce vno verbo pene Colonienſis Synodus c. 3. Sunt in hiſce Eccleſiis diuerſi miniſtrantium gradus: nempe Præpoſiti, Decani, Archidiaconi, Scholaſtici, Cantores, qui & Chori Epſcopi, Theſaurarij, qui & Sacriſta ſeu Cuſtodes, Canonici & Vicarij, atque genus alijs. Interpretetur quiſque vocabulum ſuum, & curet eſſe, quod dicitur, ſecundum veterem patrum inſtitutionem ac regulam. Atque eo ſolo fecerint, vt quum noſtra, tum omnium piorum expectationi magna ex parte reſponſiſſe videantur.

§. 9. Primicerius est quicumque est *πρωτος της τας* *Primicerius.*
ξως, primus in ordine, siue dignior cæteris *πρωτο-*
κινος. In cera autem scribere moris erat. *Plin. l. 2.*
Epist. Erat in proximo non renabulum, aut lancea, sed
stylus aut pugillaris: meditabar aliqua annotabamque, vt
 si manus vacuas, plenas tamen ceras: reportarem. *Primicerius*
 autem qui in prima cera, hoc est, primus in
 choro inter cantores scriptus erat, in ima cera apud
 Suetonium qui in extremis. Eius officium describitur
 l. 1. decret. t. 25. cap. 1. *Vt primicerius sciat* *Primicerius*
se esse sub archidiacono sicut archiepiscopus: & ad eius cu-
ram *sub Archidiacono.*
specialiter pertinere, vt præsit in docendo diaconis, vel
reliquis gradibus ecclesiasticis in ordine positis: vt ipse disci-
plinæ & custodie insistant, sicut pro animabus eorum coram
Deo rationem esse redditurus: & vt ipse diaconibus dõn-
ationes, quæ ad nocturna officia clericorum pertinent: & de
singulis studium habeat, vt in quacunque re capacem sen-
suum habuerit, absque ulla vacet negligentia, aut à quo ipse
iusserit infruantur.

Et dist. 25. c. 1. Ad primicerium pertinent acolythi, exorcista, psalmista, atque lectores, signum quoque pro officio clericorum, pro vita honestate & officii meditandi, & peragendi solcite lectiones, benedictiones, psalmum, laudes, offertorium, & responsoria quis clericorum dicere debeat. Ordo quoque & modus psallendi in choro pro solennitate temporum: ordinatio quoque pro luminariis deportandis. Si quid etiam necessarium est pro reparatione basilicarum, quae sunt in vrbe, ipse denuntiat sacerdoti: epistolas episcopi pro diebus ieiuniorum pro parochianis per ostiarios ipse dirigat: clericos, quos delinquere cognoscit, ipse distinguat, quos vero emendare non valet, eorum excessus ad agnitionem episcopi deferat: basilicanos ipse constituat, & mariculam ipse disponat. Quando autem primicerius absens est, ea quae praedicta sunt ipse exquirat, qui ei aule legproximus est, aut eruditione. Ad thesaurarium pertinet basilicarum, & ostiarii ordinatio, incensi preparatio, cura chrismatis conficiendi, cura baptisterii ordinandi, preparatio luminariorum in sacro & in sacrificiis.

Beneficium & dignitas fuit primiceriatus, cum i- *Primice-*
taque officio non fungeretur primicerius, Tullenses *riatus sub-*
canonici, ut est in rescripto Innocentii tertii, hoc offi- *latus.*
cium sustulerunt.

§. 10. Sunt & alia officiorum, & dignitatum genera. Tolosa & alibi summa dignitas est post-
positum Cancellarii Academici, qui & ipse cano-
nicus est, Colonia ipse prepositus Metropolitanus est
Cancellarius, Moguntia custos Cancellarium con-
stituit. Vide de his l. decret. de magistris, c. quamvis.

Officiales & Vicarii Episcoporum iurisdictionem
vice Episcopi exercent. In noua. 16. q. 7.

Theſaurarius eſt *κειμηλιάρχης*, qui præcioſa cuſto-
dit, qui & cuſtoſ alibi nominatur.

Sacrista supellectilis sacrae, luminariumque cu-
ram habet; l. 2. decret. 26.

Custos Sacristæ minister est. ibidem c. 1.

Oecono-

Oeconomus qui res Ecclesie dispensat, pauperum dispensator.

Vicedominus ille in Episcopatu dicitur, qui in Ecclesiis particularibus Oeconomus.

Syndicus qui lites persequitur, & iura Ecclesie controuersia defendit.

Cellarius. Cellarius cui vini dispensatio, & crebro frumenti, aliarumque rerum est commissa.

Sunt & Parochi, Vicarii, Capellani, Pensionarii, Orphanotrophii, qui omnes ex necessitate, & utilitate Ecclesie constituti debent. Sed de his speciatim agendum est, quemadmodum de Canonicis.

CAPVT XLI.

Canoniorum instituta in ecclesia laudabilia, & leges de illis saluatares.

S. I. CANONICORVM officium est canonicè viuere. de consecrat. dist. 5. c. 34. In omnibus igitur (quantum humana permittit fragilitas) decreuimus, ut Canonici clerici Canonicè uiuant, obseruantes diuina scriptura doctrinam & documenta sanctorum patrum: & nihil sine licentia episcopi sui, vel magistrorum eorum in composita agere presumant, in vnoquoque episcopatu vt simul manducant & dormiant, vbi his facultas faciendi id suppetit: vel quo de rebus ecclesiasticis stipendium accipiunt, in suo claustro mancant: & singulis diebus mane primo ad lectionem veniant, & audiant officium canonicorum. quid eis imperetur. Amen sam vero similiter lectionem audiant, & obediunt secundum canones suis ministris exhibeant.

Canonici clericorum honoratiores sunt; dicti sunt, vel quod secundum canones Apostolicos, & conciliorum uiuant, vel quia relati sunt in canonem, graeci δὲ ἐκ κανόνων, hoc est, in album Ecclesie relati, vt statam annonam consequantur, vocemque & ius dicendae sententiae in capitulo habeant; καὶ ὁμοῦς harmonici, qui primas partes rationi tribuebant, à pythagoricis dicebantur.

Dicuntur iidem praebendati, quamuis praebenda larius pateat, quam canonicatus. Praebenda olim dicebantur, quae Parochi legatis publice missis praebere tenebantur, Horat. ser. Satyr. 9.

Proxima Campano ponti, qua villula tectum Praebuit, & parochi quae debent ligna, saltemque.

Praebenda igitur dicitur in Ecclesia ius Ecclesiasticum, (nam de laicalibus praebendis non agimus) recipiendi certos prouentus annuos in Ecclesia, propter ministerium diuinorum officiorum, quod obit, is qui fructibus praebendae viuunt. Huic iuri cum est adiunctum ius suffragii in capitulo, si reliqua ad sint, vocatur praebenda canonialis; quamuis enim canonici aliqui non sint in capitulo, habent tamen praebendas canonicas, sed aliqua causa obstat, quo minus admittantur.

Ad praebendae fructus igitur legitime suscipiendos opus est habere titulum, & legitimam possessionem, deinde vt diuinis in officiis, quibus deputatus est, versetur. Beneficium enim datur propter officium. Ita omnes fundationes, omnesque canones.

S. 2. Canonicis solent triplicia stipendia dari: Nam vel annua sunt, & corpus vocant; vel diurna, quas praesentias appellant; quae solis praesentibus distribuuntur. Denique sunt quaedam collectae à capitulis, praeter corpus, & praesentias, quas fructus mensuales nominant, haec distribuuntur pro arbitrio canonicorum. Quia vero quorundam auaritia tanta est, & cum auaritate iunctus torpor, vt omnibus in locis venient praebendas, vno quidem in loco resideant, ad alia collegia colligendorum fructuum causa proficiantur, consultum foret, quandocunque, & vbi-
cunque fieri potest, corpora in praesentias commutare, aut saltem minuere corpora, augere praesentias. Verum de hisce deinceps agam.

S. 3. Canonicatus, & praebendae in vniuersum duplices sunt. Aliae sunt Cathedrales, aliae secundariae ecclesiarum, vnde inualuit illa distinctio, vt dicatur Clerus primarius, qui in aede cathedrali Deo seruit, secundarius qui in aliis collegiatis Ecclesiis. Solent etià praebendae & canonicatus vocari beneficia; quia beneuole dantur ab Ecclesia, & gratis, cum gaudio recipientis, & dantis, duo autè continent, ius fructuum recipiendorum, & obsequii Deo exhibendi obligationem. Datur autem beneficium propter officium. Ideo cum cessat officium, subtrahitur beneficium; & cum retinetur abdicato officio, iniuria Deo, & Ecclesiae inferitur. Ego in paucas leges totam rationem conferri posse puto.

Cessante officio subtrahitur beneficium.

Lex 1. In beneficii collatione nihil collator sibi retineat, nihil speret, non obsequium, non pecuniam. Quia Deo ministrum constituit, non debet in re sacra saenerator esse, & sibi partem ex patrimonio Ecclesiae vindicare, multo minus serui Dei officia cum Deo diuidere.

Gratis danda praebenda.

Lex 2. Resideant in suis ecclesiis. Ideo enim & fundatae sunt, & priuilegia acceperunt ab Imperatoribus, tit. de clericis non residentibus. Hoc loco hortescio referens, quando fraudes, quae Deum miseri homines circumuenire satagunt, recorder. Iam olim hoc malum coepit, vt magnos prouentus parum, aut nihil agendo conquireret cupiditas. Quotus quisque debet more praesens est? Sed audiamus patres nostros, anno 1286. in concil. Ratiennati sub Honorio quarto ita definitum est. Rub. 5. Dignum est, vt quos ad vine decora, domestica laudis exempla non reuocant, saltem correctionis medicina compescat. Sane relatu comperimus plurimorum, in nonnullis ecclesiis nostrae provinciae, consuetudine obseruari, & in aliquibus aliis constitutione firmatum, vt praeter redditus beneficiorum, & praebendarum, de quibus nihil ad praesens volumus immutari; prout quotidie resident, redditus aliquos alios, tantum in ecclesia residentes, pro rata residentia, quam in ecclesia faciunt, percipiant: & quod ad huiusmodi consuetudinem & statutum, quidam praua interpretatione obaudientes, ac minus, quae Dei sunt, cogitantes, in animarum suarum periculo; dum tamen in camera sua resideant, dato quod intrent in ecclesiam ad diuinum officium celebrandum, tantum semel in mense, ipsos redditus specialiter ob fauorem residentiae deputatos, vt Deo, & ecclesiae seruiantur, & diuina laudis organa, in ipsa, horis singulis decantentur sibi vsurpant, propter quae generatur grande scandalum proximorum, qui ecclesiae militant, prout debent, ac refrigescit in eis laudabile propositum, quod habebant.

Residentia.

Qualis residentia.

Ne igitur culpam illorum efficiamur participes, ipsa praua interpretatione summo, ac tali consuetudine obseruata, statumimus declarando, & statuendo declaramus, vt illi tantum dicantur in ecclesia residentes, quoad praemissos redditus, qui distribuuntur, prout quotidie resident, seu sit bladium, seu vinum, siue sint pecunia, vel alia bona; qui in ecclesia sua confratribus aliis horis debitis pensum seruutis nostrae, videlicet matutinum, laudes, primam, tertiam, sextam, nonam, vespas, completoriumque, persoluerint: alioquin percipiant ex ipsis redditibus, nisi prout seruiamus ecclesiae, iuxta ordinationem nostram, infra proxime annotatam. Et vt hac constitutio inuolubiter seruetur, volumus, & sub excommunicationis poena mandamus, vt infra duos menses à die publicationis praesentis concilii computandos, omnes & singuli clerici ecclesiarum nostrae provinciae, vbi sunt plures clerici ordinati, & tales sunt redditus, de quibus supra praemisimus, hanc teneantur constitutionem sacramento firmare, & omnes etià qui in posterum assumentur, antequam ad redditus admittantur. Vbi vero in ecclesia redditus tales non sunt, diocesani locorum in synodis suis, quos eos contigerit celebrare, provideant, prout secundum Deum melius poterunt, ne in ipsis ecclesiis, horis canonicis, officium negligatur. Quod si maior de Capitulo, vel vbi omnes sunt pares, qui proximo ipsis clericis praest, non fecerit hoc sacramentum praestari sui beneficii periculo subiacebit, muliendus per provinciale concilium, seu superiorem ipsius, vel per alium, qui hoc possit.

In camera residentes accipere fructus.

Sacramento rediguntur ad residentiam.

Proximum